

qui ex sua arrogantia & p̄sumptione manserunt increduli, meruerunt (vt ait Apostolus) dari in reprobū sensum, atq; ignominiosas incidere passioēs carnalitat̄is exterior̄is p̄minentis, id est, vsq; ad vitia cōtra naturā se extendentes. Postremo, p̄ hoc, q̄ fecerunt arcā circūdūci ad experiendū, an plagæ illæ fierent verē à Deo Israel, p̄pter præsentia arcæ: designata est curiositas, imō peruersitas & multa subtilitas philosphorū & tyrannorū & aliorū obstinatorū, Porphyrij, Iuliani, Auerrois, Celsi, & cōsimilium: q̄ videntes signa, prodigia atq; miracula sanctorū apostolorū & apostolicorū virorum, nisi sunt ea obscurare & annihilare, volentes ea rēducere ad causas naturales occultas, vel ad magicas artes, siue ad diabolicas opes & cooperationes: q̄ oēs defecerūt, scrutantes scrutinia, & deperūt in primis seipso ac alios multos, quorū noīa scripta nō erāt in libro vite.

Psal. 63.
Apoc. 27.

Capitulum hoc enarrat, qualiter arca dei remissa sit, & de mirabilibus dei in hoc opere perpetratis. [Fuit ergo arca dñi in regione Philistinorū septem mensibus.] in fra quos præfatis modis plagati sunt, & non cessantibus plagis, [Et post hæc vocauerunt Philistim] & cōmunitas populi, [sacerdotes & diuinos] suos, tanq̄ ceteris prudentiores. Vocantur autē diuini, qui sibi vsurpant quod dei est, s̄. præ cognitionē & annunciationem futurorū purē cōtingentium seu similitum notitiam secretorū, de q̄bus interdū à dæmonibus instruuntur eo modo, quo dæmones talia scire queunt cōiugaliter magis, quàm certitudinaliter, ex subtilitate ingenita & experientia longa. [dicentes: Quid faciemus de arca dei?] Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt: Si remittitis arcam dei israel, nolite dimittere eam vacuum:] i. in honoratam, quasi dicant, pro irreuerentia Deo israel irrogata circa arcam ipsius, impendite ei honorem per oblationes & dona: aliter nō poteritis eum placare. Hinc subditur: [sed quod debetis, reddite ei pro peccato] vobis relaxando, [et tunc curabimini, & scietis] per experientiam vestre curationis, cū iuxta nostram consultationem egeritis, [quare non recedat manus eius à vobis] i. cur interim effectus diuinæ potentia, vt potē punitio vestra, non cessat. Nam hucusq; fuit inter Philistæos diuersa opinio de causa prædictæ plagationis. Nemp̄ nonnulli dixerunt eā contigisse ex aeris infectione, alij ex corruptione fructuum terræ, quidam à casu, nonnulli ob arcæ præsentiam. [Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei?] i. quam satisfactionem, vt culpa nostra nobis dimittatur? Responderuntq; illi: iuxta numerum provinciarū Philistinorum, i. principalium urbium cum villis & attinentijs suis, quæ vrbes fuerant quinq;, [quinq; anos aureos & quinq; mures aureos facietis] formari per manus artificum, vt sint memoriale diuinæ potestatis & iuræ vltionis in vobis. Veruntamen Iosephus dicit, quod erant quinque simulacra hominum aurea. [quia plaga vna fuit omnibus vobis & satrapis vestris.] i. eadem vltio in specie: & ideo sicut fuit communis & par plaga, debet esse satisfactio vna ac generalis, vt pœna correspondeat culpæ. [Facietisq; similitudinem anorum vestrorum, & similitudines murium, qu] mures [demoliti sunt terram.] Mures enim ebullierunt de terra, & fructus ipsius destruxerunt, imō & prominentes extales ipsorum Philistinorum mordebant & corrodebant. [et dabitis Deo israel gloriam,] i. potentiam atq; iustitiam eius protestabimini ista agendo, per quæ etiam fatebimini vos esse percussos ab ipso, eo quod arcam eius ceperitis. [si forte releuet] Deus [manum suam] i. plagas suas tollat [a vobis.] iam antē dixerunt, & tunc curabimini: quare ergo dubitatiue nunc dicunt, Si forte? &c. Respondetur, quod illud fuit verbum bonæ fidei, non certæ scientiæ: [et à dijs vestris & terra vestra.] Ex hoc videtur, quod Philistæi non solum coluerunt Dagon, & quod Deus non solum exercuit vltionem in Dagon, sed item in alijs Philistinorum dijs seu idolis, sicut & olim in dijs Aegyptiorū. [Quare aggrauatis corda vestra] per obstinationem & impenitentiam & per arcæ detentionem, [sicut aggrauauit Aegyptus & Pharaon cor suum?] i. Aegyptij qui populum israel dimittere diu recusauerunt. [Nōne postquā percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt?] Nunc ergo arripite, & facite plaustrium nouum, [non vetus, ad reuerentiam arcæ,] [et duas vaccas fectas] i. vitulos iam habentes, [quibus nō est impostum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi. Tolletisq; arcam dñi, & ponetis in plaustro, & vasa aurea quæ exoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius, & dimittite eam, vt vadat. Et aspicietis. Et si quidē per viam sinuum suorum ascenderit cōtra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: si autē minimē, sciemus quia nequaquā manus eius tetigit nos, sed casu accidit. Fecerūt ergo illi hoc modo. Et tollentes duas vaccas quæ lactabāt vitulos, iunxerunt ad plaustri, vitulosq; earum cōcluserunt domi. Et posuerūt arcā dei sup̄ plaustri, & capsellam quæ habebat mures aureos & similitudinē anorum. Ibant autē in directū vaccæ per viam quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebant̄ pergentes & mugientes, & nō declinabāt ad dexteram neq; ad sinistram. Sed & satrapæ Philistinorum sequebantur vsq; ad terminos Bethsames.] Textus planus est. Itaq; omnia ista cōsulerunt sacerdotes & diuini ad agnoscendum pro certo, an plagæ illæ fuissent inflicte à Deo, Quod em̄ vaccæ insolitæ iugum portare, & à suis

Iosef. lib. 6.
an. iu. ca. 11

Exod. 10. 11.

Exod. 5. 6.
7. 8. 9. 10. 11.